

DE
CHLOROFORMYLI IN ECLAMPSIA GRAVIDARUM,
PARTURIENTIUM PUERPERARUMQUE USU.



DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

**UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA
DORPATENSI**

A D G R A D U M

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCENDUM

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENSURUS

SCRIPSIT

Arthur Suck.

(ADJECTA EST TABULA.)

DORPATI LIVONORUM,

TYPIS HENRICI LAAKMANNI.

MDCCLVII.

AVUNGULO CARISSIMO

D^{RI} MED. ET CHIR. H. C. RINNE

I m p r i m a t u r

haec dissertatio ea conditione, ut, simulac typis excusa fuerit, numerus exemplorum Jege praescriptus collegio tradatur ad libros explorandos constituto.

Dorpati Liv., die VII. mens. Octbr. MDCCCLVII.

Samson.

ord. med. h. t. Decanus.

(L. S.)

(Nr. 199.)

NEC NON

PIIS PARENTUM MANIBUS

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

D 20056

PRAEFATIO.

Aether sulfuricus, quum primo ab Jackson in urbe Boston anno 1848 ut remedium anaestheticum, quod vocatur, in practicum artis medicae usum introductus esset, multis virorum doctorum disquisitionibus experimentisque materiam praebuit. Neque tamen diu haec ejus, velut unici remedii, anaesthetici auctoritas valuit; namque chloroformylum anno 1831 a Soubeiran et Liebig fere eodem tempore ¹⁾ inventum quum jam anno 1844 ab J. Simpson ²⁾ pro medicamento irritante camphorae loco adhibitum esset, anno 1847 Flourens ³⁾, quos experimentis in animalibus institutis nactus erat eventus, literarum academiae parisiensi proposuit. Inde idem, quem diximus, Simpson, recens inventum perscrutatus, anni 1847 ⁴⁾ mensis Novembris die 4. primum in homine periculum fecit, cujus quum praeclarissimus fuisset exitus, jam anni ejusdem mense Novembri exeunte observationes suas in operationibus tum chirurgicis tum obstetriciis factas in medium pro-

1) Canstatts Jahresber. über die Fortsch. in der Heilk. 1848. Bd. V. pag. 167.

2) Schmidts Jahrb. 1848. Nr. 3 pag. 305.

3) Hartmann, F. Beitr. z. Litteratur über die Wirk. d. Chlorof. Giessen 1855. pag. 5.

4) Arneht, F. H. Ueber Geburtsh. u. Gynaëkol. in Frankreich, Grossbritt. u. Irland. Wien 1853. pag. 233.

tulit ¹⁾. Qui ad id tempus in usum vocatus erat aether sulfuricus, et apparatus plerumque satis complicatus in utendo indiguit et odore fuit ingrato, diu permanente, quo nausea vomitusque movebantur et, flamma admota, incendebatur, quo accessit, quod narcosis sero ingruit ²⁾ et secundarius remedii effectus plures per dies duravit. Contra ea, teste Simpson ³⁾, innumera chloroformylo commoda afferuntur, quippe quod nec tanti constet, quanti aether sulfuricus, quum minoribus opus sit copiis, et facilius ex uno loco in alterum transportari queat, praetereaque olfactui multo sit gratius. Optimus applicandi modus, iudice Simpson, is est, quo sudario utamur, quocum repugnantis aegroti motiones facile sequi liceat. Hoc modo adhibito, Simpson et effectum celerius existere et excitationis stadium deesse affirmat. Ad tempus quod attinet, quo narcosis incipiat, Klencke ⁴⁾ quoque cum Simpson ea in re consentit, ut eam, jam aliquot sexagesimis elapsis, exoriri censeat. Verumtamen, uti Berg ⁵⁾, Hartmann ⁶⁾, Scanzoni ⁷⁾, quibus et ego assentior, admonuerunt, hac in re partim ex peculiari uniuscujusque aegroti indole, partim ex eo momento, quantum aëri atmosphaerico aditum praecluseris, permultum dependere videtur. lis-

1) Hartmann, l. c. pag. 5.

2) Secundum Harless et Bibra experientiam post 30 sexagesimas.

3) „Anaesthesia in Surgery, Midwifery etc. by Simpson Philad. 1849. pag. 194“ secundum Arneth, l. c. pag. 233.

4) Canstatt, l. c. p. 171.

5) Berg, G. H. De chloroformo quaedam, Diss inaug. Francof. a. M. 1848. pag. 14.

6) l. c. pag. 33.

7) Scanzoni, F. W. Beitr. z. Geb. u. Gyn. Würzburg. 1855. Bd. II. pag. 67.

dem rerum conditionibus secundarius medicaminis effectus inniti perhibetur, qui tamen quin brevius per tempus duret, quam aethere sulfurico adhibito, dubitari non potest. Quas ob causas Simpson chloroformylo etiam atque etiam commendavit, eo ad leniendos dolores quum in operationibus chirurgicis atque obstetriciis tum in partu normali utendum esse ratus, qua in re multi Edinburgi medici ¹⁾, ut Keith, Norris, Carmichael, Young, Campbell aliique ei adstipulati sunt. Ceterum jam ab ipso initio non defuerunt, qui in contrariam discederent sententiam ²⁾; nam Parke, Gream, Ramsbotham, Meigs, rationibus et theologicis et medicis adducti, chloroformylo in partu normali usum utique rejecerunt, alii, inter quos Chailly-Honoré ³⁾, Scanzoni ⁴⁾, Martin ⁵⁾ fuerunt, eum nisi certis rerum conditionibus non probarunt. Nos, quamvis non inclinemus eo, ut sophismata theologica a Parke prolata defendamus, tamen chloroformylo in partu normali adhibendo has causas repugnare censemus. Partus normalis enim, utpote qui actus sit physiologicus, quum necesse non sit, eum cum periculo conjunctum esse, artis medicae auxilium non exoptulat, nedum aliquid periculi moveri liceat, quod periculum tamen chloroformylo inhalationibus inferri posse, documento est quorundam mors ⁶⁾ narcosi

1) Arneth, l. c. pag. 247.

2) Arneth, l. c. p. 240.

3) Verhandl. der Gesellschaft f. Geburtsh. Berlin 1855. Heft VIII. pag. 140.

4) l. c. pag. 63.

5) Ed. Martin: Ueber die künstl. Anaesthetie bei Geburten durch das Chlorof. Jena 1848. pag. 16.

6) Canstatt, l. c. p. 191.

ope chloroformyli allata. Itaque, etiamsi Christison ¹⁾ et Murphy ²⁾ testentur, Edinburgi, licet creberrime in usum vocetur chloroformylum, tamen parturientis mortem eo effectam nunquam auditam esse, atque etiamsi Scanzoni ³⁾ gravidas et parturientes chloroformyli magis resistere posse effectui contendat, nihilo secius illa lex rata habeatur oportet, ne periculum remedii usu provocatum unquam majus sit periculo ex rerum conditionibus oriundo. Praeterea, ut de vitae periculo taceamus, alio quoque respectu medicamen innoxium esse nondum constat; certe Scanzoni ⁴⁾ ei opprobrium vertit, quod secundinarum periodo haemorrhagi asadjuvet. Alia autem in operationibus iis rei ratio est, in quibus aliquid periculi adesse jam ex earum indicibus eluceat; aliter quoque res sese habet, si quando, uti in eclampsia parturientium, id agimus, ut auctam centrorum systematis nervosi irritabilitatem deminuamus. In eclampsia parturientium quoque clo. Simpson adtribuendum est meritum chloroformyli primum in usum vocati; post quem virum doctum multi alii, uti Snow ⁵⁾, Norris ⁶⁾, Gros de Saint. Marie aux Mines ⁷⁾, Channing ⁸⁾, Agar ⁹⁾, Fearn ¹⁰⁾, Kiwisch ¹¹⁾, casus a se observatos publici

1) Arneth. l. c. pag. 234.

2) Arneth. l. c. pag. 250.

3) l. c. pag. 67.

4) l. c. pag. 68.

5) Canstatt. Jahresb. 1849. Bd. III. pag. 412. et Krause, A. Theorie und Praxis der Geburtsh. Berlin 1853. Th. II. pag. 512.

6) Canstatt. 1849. l. c. p. 413.

7) Canstatt. pag. 414 ubi et octavum invenimus casum.

8) Canstatt. pag. 344.

9) Canstatt. 1848. p. 273.

11) Kiwisch a Rotterau: Die Geburtsk. Erlangen 1851. Abth. II. Heft I. pag. 56.

juris fecerunt. Contra ea Piorry ¹⁾, Churchill ²⁾ multae aetatis recentioris medici in parturientium eclampsia chloroformylum adhibendum esse negant. Quae res tamen cum materia, de qua tractabimus, arctius juncta est, quam cujus jam nunc uberius mentionem facere liceat.

In his, quas proferam, pagellis si multa falsa, multa imperfecta reperiantur, lector benevolus ejus rei excusationem ex morbi, de quo agitur, raritate expetat; quam ob rem factum est, ut ipse nonnisi paucas observationes instituere potuerim. Ad litteras allatas, praesertim quae ex Anglicis petitae sunt, quod spectat, si forte aliqui inventi erunt errores, equidem, quum ipsorum auctorum scriptis carerem, solum eos, ex quibus locos citatos hausissem, fontes afferre potui, qua in re tamen, quantum fieri potuit, locos respondentes conquisivi.

Antequam vero ad rem ipsam tractandam aggrediar, facere non possum, quin praeceptorum honoratissimo P. U. Walter, qui egregia, qua est, liberalitate et consilio et re mihi adfuerit, suaeque bibliothecae utendae potestatem mihi fecerit, nec non ceteris professoribus academicis, quibus auspiciis, studia mea conficere licuerit, intimo animo gratias persolvam.

1) Verhdl. d. Ges. f. Geb. Berl. 1855. Heft VIII. pag. 143.

2) Arneth. l. c. p. 246.

Caput I.

Quaedam de eclampsiae natura, curaque notationes.

Ad morbum, de quo disserimus, quod attinet, prout eclampsiae natura diverso modo percipitur, medicos in duas partes divisos esse videmus. Namque, ut alteri huic malo, ut ita dicam, indolem reflexivam vindicant, morbumque doloribus ad partum provocari censent, ex quibus Wigand¹⁾, Kiwisch²⁾, Scanzoni³⁾, Krause⁴⁾, Schwartz⁵⁾, Rosshirt⁶⁾, Credé⁷⁾ memorasse sufficiat, alteri, in morbi processu cognoscendo se longius progressos esse rati, eclampsiam tantummodo morbi alius, plerumque morbi Brightii acuti, symptoma esse judicant, doloresque ad partum nonnisi singulis in casibus pro causa occasionali habendos esse arbitrantur, cui quidem sententia Frerichs⁸⁾, Litzman⁹⁾, Braun¹⁰⁾,

1) Wigand, J. H. Die Geburt des Menschen etc. Berol. 1839. Bd. I. p. 249.

2) l. c. pag. 56. et „Clin. Vortr. ü. spec. Path. und Ther. d. Krankh. des weibl. Geschlechts.“ Prag 1855. Heft IV. pag. 436. contin. a Scanzoni.

3) Scanzoni, Fr. W. Lehrbuch d. Geburtsh. Wien 1850. Bd. II. pag. 374.

4) l. c. pag. 466.

5) Schwartz, J. C. Ueber Eclampsie der Kreisenden. Riga 1851. pag. 22.

6) Rosshirt, J. E. Lehrb. d. Geburtsh. Erlangen 1851. p. 284.

7) Credé, Fr. S. Clin. Vortr. über Geburtsh. Abth. I. p. 464.

8) Frerichs, Fr. Die Brightsche Krankh. und ihre Behandlung. Braunschweig 1851.

9) In diurnis: Deutsche Klinik, 1852, a Goeschen editis Nr. 19—31 incl.

10) Braun, C. R. Lehrb. d. Geburtsh. mit Einschluss d. oper. Ther. der übrigen Fortpflanzungsfunktionen etc. Wien 1857. Bd. I. p. 485.

Hecker¹⁾ addictos videmus. Etsi in theoriis de eclampsia aliae quaedam haud desint varietates, tamen eas quoque ad alterutram earum, quas diximus, sententiarum revocare possumus. Nos certe non existimarem hanc controversiam copiosius exponendam esse, si haec medicorum dissensio solo theoriarum certamine niteretur neque secundum theoriae diversitatem etiam curationem prorsus diversam institui necesse foret, id quod exemplum, quod Braun obtulit, satis ostendit. Ceterum hac de re, quam potuerimus, brevissime disseremus.

Qui prioris sententiae patrocinium susceperunt, centrorum systematis nervosi irritabilitatem adauctam esse statuunt, ad quam rem efficiendam Naegele²⁾ sanguinis dissolutionem gravidis propriam, fibrino, albumine, rubris sanguinis corpusculis deficientibus, valere judicat. Irritabilitate sic aucta, dolores ad partum ingruentes, auctore Wigand, ut eclampsia existat, efficiunt, id quod vir eruditus directis de portione vaginalis in eclampsia ratione pervestigationibus demonstravit, doloris ad partum finem eclampsiae ortui respondere affirmans³⁾. Schwartz⁴⁾ eclampsiam cum partus initio aliquo connexu contineri ait, dum Krause unamquamque uteri actionem adauctam, veluti in menstruatione⁵⁾, ad eclampsiam provocandam sufficere opinatur, idem tamen hoc maxime admonens, in partu eam, dolore ad sum-

1) Verhandl. d. Gesellsch. f. Geburt. Berl. 1853. Heft VII. p. 61

2) Naegele, H. Lehrb. d. Geburtsh. Mainz 1853 contin. a Greuser p. 398.

3) Wigand l. c. p. 188.

4) l. c. p. 22.

5) Krause l. c. p. 503.

mum fastigium¹⁾ evecto, ingruere, neque tamen unquamque uteri contractionem mali accessionem efficere.

Credé²⁾, qui, pariter atque Kiwisch, causam in sanguine dissoluto reponit, tamen quibusdam in casibus morbum Brightii ad provocandam eclampsiam valere posse concedit. Scanzoni³⁾, convulsiones e medulla spinali proficisci ratus, eas tamen tribus modis excitari credit, nimirum a) partium periphericarum irritatione ad medullam spinalem propagata, b) medulla spinali directo affecta, c) cerebro primum irritato et irritatione ad medullam spinalem translata. Rosshirt⁴⁾ etiam systematis gangliosi irritationem ad medullam spinalem transferri statuit. Kiwisch⁵⁾ etiam doloribus ad partum arte excitatis eclampsiae accessiones produci posse contendit, qua ex re causalem inter dolores ad partum et eclampsiae accessionem nexum sibi demonstrasse videtur. Hoc tamen Braun⁷⁾ prorsus negat.

Ad sententiae alterius patronos Frerichs, Hecker, Litzmann ac praesertim Braun referendi sunt, quorum quem ultimum diximus, eclampsiae notionem hisce verbis definit⁸⁾: „Die Eclampsie der Schwangeren, Gebährenden und Wöchnerinnen ist eine durch Bewusstlosigkeit, clonische und tonische Krämpfe characterisirte acute Motilitätsneurose, welche nur als Theilerscheinung

1) Krause l. c. p. 471.

2) l. c. p. 465.

3) Lehrb. d. Geb. p. 380.

4) l. c. p. 284.

5) Lehrb. d. Geb. p. 60.

6) Lehrb. d. Geb. etc. p. 469.

7) Lehrb. d. Geb. p. 469.

8) Lehrb. d. Geb. p. 458.

einer anderweitigen Krankheit, *gewöhnlich* eines Morb. Br. acutus auftritt, wobei unter gewissen (?) Umständen durch Verbreitung ihrer toxämischen Wirkung auf die Ernährung des Gehirns und des gesammten Nervensystems jene furchtbaren Zufälle erregt werden.“ Ex quo primum Frerichs anno 1851 in commentatione allata eam sententiam protulit, eclampsiam semper cum morbo Brightii acuto conjunctam esse¹⁾, hujus doctrinae fautores ad eam confirmandam argumenta proponere studuerunt, ex quibus Hecker²⁾ in diurnis, quae inscribuntur: Verhandlungen der Gesellschaft für Geburtsh. Berlin 1851, Litzmann³⁾ in ephemeridibus: Deutsche Klinik, 1852, quas Goeschen edit, Braun⁴⁾ in diurnis obstetriciis et gynaecologicis a Chiari, Braun et Spaeth editis, complura exempla attulerunt. In casuum, de quibus Hecker narravit, primo (l. c. p. 61.) ureae retentae causa in renis sinistri devastatione, quam virisimile erat noxis mechanicis effectam fuisse⁵⁾, reposita fuit, dum ren dexter primum morbi Brightii stadium obtulit. In casu altero sola eclampsiae accessione albumen et fibrini cylindri, qui tamen jam postridie evanuerunt, in conspectum venire; attamen illi demum reperti sunt, postquam urina per horas 24 quieverat, quae res, uti infra videbimus, documentum habenda est, ex quo ammonium carbonicum non adesse apparet. In casu primo, quamquam bacillo vitreo, quod acido muriatico imbutum erat, ori et sanguini appposito nubeculae co-

1) l. c. pag. 215.

2) resp. pag. 11. Nota 1.

3) resp. pag. 10. Nota 9.

4) Klinik f. Geburtsh. u. Gynäk. v. Chiari, Braun u. Spaeth. Erlangen 1853. Lief. I. pag. 310.

5) l. c. pag. 68.

loris albi evolutae sunt, tamen Hecker ipse, quum secundum investigationes ab ipso institutas ¹⁾ idem in hominum sanorum sanguine observetur, id quod et Krause ²⁾ confirmat, illud non credit argumento esse, ex quo uraemiam adfuisse concludas. Casus tertius tantum obiter atque paucis commemoratus est. Quae quum ita sint, solummodo casus primus ostendere credatur, eclampsiam morbumque Brightii simul occurrere. Exempla a Litzmann allata quum in diurnis a Kiwisch et Scanzoni editis, Clinische Vorträge, Prag 1855 inscriptis, pag. 441 eo, quo aequum fuit, modo dijudicata sint, ad locum modo allatum relegans haec tantum adjicienda censeo. Litzmann enim ipse in relationibus suis quaedam commemorat, ex quibus theoriam istam saltem non semper veram esse satis pateat. Namque in casu sexto (Nr. 22.) urina, colore ex fusco flavescente tincta, admodum acida, ope catheteris emissa, calore tanto, ut bulliret, adhibito, coagulum copiosum fere duas voluminis partes tertias aequans praecipitavit, neque ullos continuit fibrini cylindros et, acido muratico concentrato, quod saepe aëri expositum ipsum vapores emittit, in usum vocato, exigua ammonii carbonici vestigia prodidit; ac nihilominus tamen eclampsia ingruit. E contrario in casu septimo (Nr. 23.) morbus Brightii adfuit; etenim abdominis integumenta et genitalia fluido seroso infiltrata, extremitates inferiores usque ultra femur medium, manus faciesque oedematosae cernebantur, multum urinae albuminis inerat (9, 26 p. m.), nec non, liquore kali caustici admixto,

1) l. c. p. 68.

2) l. c. p. 498.

ammonium carbonicum repertum est; et nihilo secius, id quod secundum theoriam istam fieri debuerat, eclampsia non ingruit.

Braun observationes sibi oblatas in diurnis, quae memoravimus, in medium protulit, de quibus non possum quin pluribus disseram. Quas si iudicio aequo, quod ad ipsa auctoris verba provocet, exsequamur, quum tantum ureae in ammonium carbonicum ¹⁾ dilapsio nomen intoxicationis uraemicae permittere dicatur, quoniam morbus Brightii acutus cum urea in sanguine accumulata, nulla eclampsia accedente, exstare potest (Nr. 53.), quumque intoxicatio uraemica homine vivo albumine cylindrisque fibrini cognosci ²⁾, cadavere secto autem unam ex notis morbi Brightii stadiis reperiri posse perhibeatur, haec inde sequuntur.

Ad primum signum diagnosticum, a Braun propositum, nempe ureae in ammonium carbonicum dilapsionem, quod attinet, id quidem in dimidia omnium, qui afferuntur, casuum parte (Nr. 14, 32—52) demonstratum non est, dum in parte altera, quomodo res evenerit, non commemoratur. Sola albuminis praesentia, quum id in quovis viarum uriniferarum catarrho inveniatur, morbum Brightii adesse, non probat; praeterea, uti Kiwisch ³⁾ affirmat, etiam gravidarum omnino sanarum urina albumen continet; Seyfert ⁴⁾ albuminuriam in eclampsia demum mali accessione turbisque respirationis et sanguinis circuitus ea effectiis provocari contendit,

1) Braun, Lehrb. der Geb. pag. 462.

2) Braun, Lehrb. der Geb. pag. 462.

3) Lehrb. der Geb. pag. 63.

4) Wiener medic. Wochenschrift. 1853. Nr. 12.

qua de re Mayer¹⁾ quoque cum eo consentit; denique, id quod casus quidam hic Dorpati observatus (Nr. 1. tab. adj.) coarguit, quamquam albumine in urina evanescente, eclampsia tamen perdurare potest. Quodsi Braun²⁾ fibrini cylindros plerisque in casibus repositos esse ait, hac in re, quod doleo, ei assentiri non possum (Nr. 9, 10, 15, 32—44, 46, 47, 48, 50, 51). Braun quidem loco eodem memorat, urina per horam quieti mandata, si inde ope siphonis e vasis fundo ejus guttula excepta atque microscopio submissa fuerit, fibrini cylindros nunquam defuisse. Manipulatio modo descripta haud dubie id spectat, ut cylindri rari, qui adsunt, ad vasis fundum descendant. Fibrini copiae minores, sanguine in renibus stagnante, per uterum gravidum, teste Bethune³⁾, in urinam transire possunt. Porro Schottin⁴⁾ in metrophlebitide et pyaemia, Kiwisch⁵⁾ in catarrho renali fibrini cylindros reppererunt, qua ex re illos morbo Brightii non peculiare esse concludunt. Attamen, etiamsi modo dicta non respexerimus, jam causa quaedam chemica iis, quae Braun protulit, repugnat, quod videlicet ammonium carbonicum, ammonio cedente, in ammonium sesquicarbonicum et bicarbonicum transit, quorum posterius, ne fibrinum coaguletur, impedit et coagulati dissolvendi⁶⁾ virtute excellit, id quod Braun alio quodam loco⁷⁾ affert, ut explicet, cur mirationem

1) Scanzoni, Beitr. z. Geb. u. Gyn. Wien 1855. p. 284.

2) Clin. f. Geb. etc. pag. 282.

3) Bethune, P. A. De parturientium eclampsia. Diss. inaug. Berolin. 1856. pag. 11.

4) Archiv f. physiol. Heilk. 1852. Heft 1. Beitrag zur Charakteristik der Uraemie.

5) Kiwisch-Scanzoni Clin. Vortr. etc. pag. 447.

6) Lehrb. d. Geb. p. 462.

7) Clin. f. Geb. u. Gyn. etc. pag. 297.

movere non possit, quod nulli fibrini cylindri reperiantur. Quod si in casu citato evenit, sane colligere possumus, in casibus quoque supra memoratis rem pariter se habuisse, nisi vero Braun contrarium explanaverit. Quodsi Braun in casibus supra allatis fibrini cylindros invenit, uraemia, quam ipse dicit, non adfuit. — Denique, quod ad cadaverum sectiones spectat, quas, mortuis 15, Braun undecies suscepit, siquidem breviores auctoris ipsius relationes sequamur, solum tres invenimus casus (14, 15, 23), in quibus morbum Brightii existisse haud dubie statui posset. In casu 24. sectio cadaveris oedema renum demonstravit, bis (16 et 19) renes laxi pallidique et faciles diruptu reperti sunt, quod num metamorphosi in adipem factum sit, non commemoratur; quater (18, 20, 25, 45) hyperaemia renum cognita fuit, duobus in casibus, qui renum status fuerit, non refertur (30 et 41). Verumtamen neque oedema renum, neque hyperaemia, neque solus renum diruptu facilius pallor laxitasque, quum praesertim causa allata non sit, pro morbi Brightii stadio haberi possunt: qua de re tres modo supersunt casus haud dubii, qui, accedente casu ab Hecker enarrato, justo pauciores sunt, quam qui nos statuere jubeant, eclampsiam, uti Braun in sua hujus morbi definitione dicit, *plerumque* cum morbo Brightii conjunctam esse, etsi haud infitit, singulis in casibus hoc malum eclampsiae comitem se adjungere posse. Jam eclampsiae natura copiosius illustrata, ita ut principia, quae in ejus curatione sequenda sint, intelligamus, ad curam ipsam contemplandam transire liceat.

Indicia curae instituendae, quae afferuntur, si respexerimus, illa quidem diversarum auctorum de morbi

natura sententiarum notas prae se ferunt. Schwartz ¹⁾, ut exemplo utar, praecipit, 1) cerebrum medullamque spinalem a primis directisque irritationis ab utero reflexae sequelis liberanda atque adversus hoc irritamentum insensibilia reddenda esse, 2) dolores ad partum plerumque spasmodicos moderandos atque ad normam revocandos esse, 3) partum, ut qui accessionum eclampsiae causam attulerit, quantum per rerum condiciones liceat, quam primum ad finem esse adducendum. Braun, Litzmann, Frerichs, id quod per se intelligitur, intoxicationis uraemicae curam maximi momenti esse judicant, quamquam Braun in partu, quum, ipso iudice, hoc tempore morb. Brightii tolli nequeat, centrorum systematis nervosi sensibilitatem deminui mavult. Meissner ²⁾, praeterquam quod plethora tum universalis tum localis minuenda sit, impedimentum, quod liberae sanguinis circulationi obstet, amovendum esse arbitratur. Quum autem non liceat indicia singula a singulis auctoribus prolata persequi, jam ad curationem ipsam considerandam transeamus.

In eclampsia medicamentis curanda inde ab omni tempore venæsectiones partes gravissimas egerunt, ita ut Dewees ³⁾ Americanus in unaquaque mali accessione venam secari jubeat. Cujus exemplum Angli quoque,

1) l. c. p. 47.

2) Meissner, L. Forschungen des XIX. Jahrhunderts im Gebiete der Geburtsh., Frauen- und Kinderkrankheiten. Leipzig 1833. Thl. 4. pag. 164.

3) Meissner l. c. Thl. 1. pag. 158.

ut Staley ¹⁾, Ashwell, Merrimann ²⁾, Musgrave ³⁾, magis minusve sequendum esse censuerunt. Naegele ⁴⁾ etiam, Krause ⁵⁾, Kiwisch ⁶⁾, Crédé ⁷⁾ venæsectionem maximi faciunt; attamen jam Schwartz ⁸⁾ eam tantum pro remedio palliativo habet, nec non Scanzoni ⁹⁾ solas venæsectiones minores commendat, atque Braun ¹⁰⁾ eas fere omnino rejiciendas esse existimat. Qui tantum in congestionibus vehementissimis, anaemia, chlorosi vel corporis debilitate omnino deficiente, atque ne tunc quidem saepius iteratas, venæsectiones instituendas statuit, quippe quibus hydraemiam augeri, symptomata nervosa non in melius converti, thrombosin et pyaemiam puerperales adjuvari opprobrio tribuat, cyanosin solam sequelam esse affirmans. Licet nonnulla eorum, quae venæsectionibus vitio dat, jure prolata videantur, tamen, quum cadaverum sectiones, auctoribus Kiwisch ¹¹⁾, Dubois ¹²⁾, Krause ¹³⁾, Braun ¹⁴⁾, Hecker ¹⁵⁾ aliisque, centrorum systematis nervosi hyperaemiam atque exsu-

1) Meissner Thl. 1. pag. 158.

2) Merrimann, Die regelwidrigen Geburten u. ihre Behandlung, in linguam germ. vers. a Kilian, pag. 142.

3) E. v. Sieboldt's Journal für Geb., Fr.- und Kinderkrankh. Bd. V. pag. 681.

4) l. c. pag. 415.

5) l. c. pag. 485.

6) Lehrb. d. Geb. pag. 94.

7) l. c. pag. 471.

8) l. c. pag. 50.

9) Lehrb. d. Geb. pag. 402.

10) Lehrb. d. Geb. pag. 507.

11) Lehrb. d. Geb. pag. 70.

12) Naegele § 700. Anm. pag. 408.

13) l. c. pag. 472.

14) Lehrb. d. Geb. pag. 475.

15) l. c. pag. 66.

data et extravasata in haec centra vel in pulmones effusa demonstraverint, quamvis fortasse non nisi symptomata consecutiva fuissent, dum Schwartz ¹⁾ ea ex nervorum sensibilibus et vasomotoriorum antagonismo rependa esse credit, venaesectionibus, uti remedio symptomatice, dignitas sua deroganda non erit. Omnino Koerte, Riese ²⁾ alique non in venaesectionis effectu depletorio, sed in ejus vi ad auctam centrorum systematis nervosi irritabilitatem eventus secundos reponendos esse censent, qua de causa venaesectionem ad animi deliquium usque continuari suadent. Locales sanguinis depletiones ex parte lentius agunt, quam quae, universali sanguinis detractioe non praegressa, his periculis occurrere valeant, quo adde, quod, quum aegrotae tam inquietae sint, difficulter adhibentur, atque, saltem quod majorem hirudinum numerum attinet, tanti constant, ut venaesectioni praeferrere nequeant. Apparatus ab Junod commendatus, cui Braun favet, vix usquam, nisi in nosocomiis atque institutis obstetriciis, in promptu est, quo accedit, quod, etiamsi ob certa anaemiae et chloroseos signa dignus videatur, cui palmam deferamus, tamen propter aegrotarum inquietudinem non ita saepe in usum vocari potest. Aquae frigidae in caput rasum irrigationes a multis, uti a Schwartz ³⁾, suasae sunt, neque, iudice Schwartz, fomentis frigidis compensantur. Eisdem Wigand ⁴⁾ cum balneis tepidis, herbis narcoticis adjectis, coniungi jubet, altera quaque hora eas adhibendas esse

1) l. c. pag. 36.

2) Verh. d. Ges. f. Geb. Berl. 1851. Jahrg. IV. p. 26.

3) l. c. pag. 51.

4) l. c. pag. 203.

judicans. — Internus medicaminum usus plerumque trismo impeditur, attamen, si quando aegrota deglutire potest, calomel vel solum per se vel cum pulvere rad. Jalappae conjunctum commendatur. Schwartz ¹⁾ tamen remedia purgantia et emetica aspernatur, opii doses majores, brevi alteram post alteram porrigendas, magnopere suadens, ut scilicet, quemadmodum ait, stimuli a nervis periphericis ad medullam spinalem propagatio interrumpatur. Idem morphii acetici gr. $\frac{1}{4}$ —1 loco opii porrigit. Meissner ²⁾ opii usum omnino rejicit; Kilian ³⁾, morphium respuens, opii usum servat, qua in re quam ratione ducatur, non affert. Meissner ⁴⁾ et Strasen in commentatione a medicis Rigensibus ad gratulanda quinque lustra peracta universitati literarum Dorpatensi missa acidum hydrocyanicum commendant, cujus guttulas 5—6 quinta quaque vel octava sexagesima interne et guttulas 25 per clysmata adhiberi praecipiunt. Ventriculo cibis nimis oppleto, Hohl ⁵⁾ ut remedium emeticum Ipecacuanham suadet; Legroux ⁶⁾ tartarum stibiatum, quo exsudata serosa removeantur, praedicat, dum Scanzoni ⁷⁾, quod vomitu sanguinis ad cerebrum congestiones augeantur, emetica rejicit. Krause ⁸⁾, una observatione nixus, ammo-

1) l. c. pag. 52.

2) l. c. Thl. I. pag. 164.

3) Kilian, H. Fr. Die Geburtsl. v. Seiten der Wiss. u. Kunst dargestellt. Frankf. a. M. Bd. 2. Thl. I. pag. 498.

4) l. c. Thl. I. pag. 164.

5) Hohl, Fr. A. Lehrb. d. Geburtsl. etc. Leipzig 1855. pag. 291 et 767.

6) Scanzoni's Beitr. z. Geb. u. Gyn. Wien 1855. pag. 288.

7) Kiwisch-Scanzoni Clin. d. Geb. etc. pag. 507.

8) l. c. pag. 503.

nium carbonicum porrigi jubet. Braun ¹⁾ contra, theoriam suam sequens, pariter atque Litzmann, eclampsiae floribus Benzoës, acidis citrico et tartarico medetur. Exsudatione jam facta, Vichy aquam Selterianam, in hydraemia remedia tonica adhibet. Sopore nimis diu durante vel viribus admodum exhaustis, multi Moschum Campheramque commendarunt, quae medicamina tamen Braun ²⁾ solis iis in casibus, in quibus nimiae factae fuerint venaesectiones, in usum vocari permittit; Rosshirt ³⁾ omnia medicamina nervina aspernatur.

Jam, si curam eclampsiae obstetriciam contemplamur, eam in graviditate, diversis partus periodis atque in puerperio diversam esse videmus.

Eclampsiae graviditatis tempore curatio.

Medicis obstetriciis hac in re illa maxime cogitatio obversata videtur esse, eclampsiam, antequam foetus expellatur, finem capere non posse, foetusque vitam intra uterum semper in summo periculo versari. Exemplo sit Rosshirt ⁴⁾. Attamen non respexerunt illi quidem, experientiam docuisse, eclampsiam non semper partu finito cessare, alteraque ex parte eclampsiam graviditatis tempore ortam rursus evanescere posse, posteaque partum infantis saepe quidem mortui, interdum tamen et vivi sine ulla eclampsiae accessione succedere posse. Neque reputarunt, auctore Wigand ⁵⁾, quod ad

- 1) Lehrb. d. Geb. pag. 504.
- 2) Lehrb. d. Geb. pag. 509.
- 3) l. c. pag. 290.
- 4) l. c. pag. 287.
- 5) l. c. pag. 189.

prognosin respectu infantis attineat, quaenam simul uteri ratio sit, plurimum referre, utrum scilicet uteri actio sublata sit, an etiam convulsiva exstiterit. Naegele ¹⁾, Kihian ²⁾, Scanzoni ³⁾, et acerrime quidem Hohl ⁴⁾ partui violento adversantur, dum Schwartz ⁵⁾, si eclampsiae accessiones iterum ac saepius repetantur, si sopor non evanescat, osque uteri, quamquam curatione apta adhibita, tamen spasmodice clausum maneat, operationem „Accouchement forcé“ dictam permittit, cui quidem sententiae et Credé ⁶⁾ adstipulatur.

Multi medici obstetricii, in sola uteri evacuatione spem reponentes, praeter curam ope medicaminum supra expositam remedia, quibus partus arte praematurus efficiatur, in usum convertunt. Necessitate magis etiam urgente, quidam partum violentum, in quo os uteri vel manu vel cultro aperitur, commendant, inter quos Krause ⁷⁾ est.

Si, mortua matre, foetus vivendo aptus vivusque cognitus fuerit, sectio Caesarea suadet. Braun ⁸⁾ nobis tres agendi rationes pro ultimo refugio superesse ait. Primo enim acres dolores ad partum excitandos esse, id quod, colpeuryntere, immisso simul in uteri cavum, ore ejus paululum aperto, cathetere elastico, efficit; quam quidem rationem ipse adhibet. Deinde

- 1) l. c. pag. 417.
- 2) l. c. pag. 501.
- 3) Lehrb. d. Geb. pag. 404.
- 4) l. c. pag. 768.
- 5) l. c. pag. 62.
- 6) l. c. pag. 473.
- 7) l. c. pag. 515.
- 8) Lehrb. d. Geb. pag. 512.

operationes cruentas fieri posse dicit, quas Scanzoni ¹⁾ et Credé ²⁾ malunt. Denique exspectari posse, id quod Braun prorsus rejicit. Secale cornutum, a Waterhouse ³⁾ commendatum, Braun et Schwartz ⁴⁾ omnino respuunt, Kilian, utero torpido, adhibet.

Etiam *periodo oris uteri aperiendi* rationem supra expositam servari videmus; attamen hoc spatio, teste Braun ⁵⁾, velamentorum diruptio ad partum accelerandum accedit. Quantum mea fert opinio, ad rumpenda velamenta tantum iis in casibus aggredi licet, in quibus nimiam liquoris amnii copiam verisimile sit eclampsiae causam attulisse, dolorumque ad partum vis debilitata sit, quoniam, aquis effusis, foetus utero arctius cingitur, ideoque sanguinis circulatio facilius inhiberi potest, ac quoniam, si forte ob situm transversum operationem fieri necessarium visum fuerit, haec difficillima redditur. Dr. Langheinrich ⁶⁾ Herbipoli, etiam ore uteri pollicem dimidium patente, partum violentum est exsecutus. Si qui hoc spatio os uteri manu dilatandum crediderunt, quae res tamen justo tardius vim exhibet, vel, uti Braun ⁷⁾, ad oris uteri labia incidenda refugerunt, nos, quum tempore recentiore chloroformylum, uti iudicamus, nobis subsidium obtulerit, quo omnia illa evitare contingat, qua de re tamen infra exponemus, illorum sententiam approbare non possumus. Partu *e periodo tertia in quartam transeunte*, capitis positione

- 1) Kiwisch-Scanzoni's Votr. pag. 508.
- 2) l. c. pag. 473.
- 3) Kilian l. c. pag. 500 et Braun, Lehrb. d. Geb. p. 513.
- 4) l. c. pag. 57.
- 5) Lehrb. d. Geb. pag. 515.
- 6) Verh. d. Ges. f. Geb. Berlin 1851. Heft IV. pag. 29.
- 7) Lehrb. d. Geb. pag. 511.

forcipi applicandae apta, plerique quidem partum ope hujus instrumenti ceteriter finiendum arbitrantur, at Kilian ¹⁾ tunc quoque curationem ope medicamentorum praemittendam esse existimat, et Scanzoni ²⁾, capite proxime pelvis exitum sito, chloroformylo utitur. Kilian enim, ne nervi irriterentur, maximopere metuit, praetereaque uteri, spasmis durantibus, evacuationem perquam periculosam esse putat. Ceterum uterque virorum doctorum non multos sententiae suae fautores invenerunt. Si forte caput fixum forcipis tractiones non sequatur, secundum indicia ad perforationem ac cephalotripsin posita agendum est; attamen, uti Braun ³⁾ verissime admonet, eclampsia sola per se nunquam indicio est, quo craniotomia suscipi jubeatur.

Eclampsia *secundinarum periodo* vel orta vel eo usque protracta, uti omnes auctores consensu affirmant, placentam cito solvi expostulat, idque potissimum, aegrotata chloroformylo consopita, faciendum esse creditur, quia, hac cautela omissa, manus in uterum immissa eclampsiae paroxysmum augere possit. Placenta non remota facile incarceratur. Hammer ⁴⁾ autem placentam, nisi funiculo umbilicali tracto excesserit, potius in utero relinquendam esse putat, quamquam secundum meam sententiam etiam placenta adhaerens potius per partes amovenda est, quoniam febres puerperales et eclampsiae ipsi persaepe comites se addunt et placenta in utero relicta funestissimam earum formam provocare potest.

- 1) l. c. pag. 497, b.
- 2) Kiwisch-Scanzoni Clin. Votr. pag. 510.
- 3) Lehrb. der Geb. pag. 511.
- 4) Verhandl. d. Ges. f. Geb. Berlin 1851. l. c. p. 28.

Eclampsia *puerperii tempore* orta vel eo usque continuata curam ope medicaminum supra jam descriptam exposcit, respectis nimirum functionibus puerperarum peculiaribus. Memoratu dignum est, eclampsiam hoc tempore, auctore Scanzoni¹⁾, saepe febri puerperali stipatam esse.

Sub hujus capitis fine si de mortium in hac curatione frequentia quaesierimus, haec reperimus. Testante Kiwisch²⁾, infantium ex matribus eclampticis natorum pars tertia, auctoribus Krause³⁾ et Scanzoni⁴⁾, trientes duo, teste Bethune⁵⁾, pars dimidia moriuntur. Matrum, testantibus Scanzoni et Krause, pars tertia, secundum Kiwisch dimidia mortem occumbit; Merriman⁶⁾ ex matribus 36 octo, Ramsbotham ex 43 solum 7 obiisse referunt; Walter ex matribus 12 nullam, ex infantibus 13 tres perire vidit. Faustam casuum lethaliū et secundorum rationem ab Anglis, praesertim a Merriman, prolatam Schwartz⁷⁾ inde repetit, quod ille medicus etiam hystericam et epilepticam spasmodum formas ad eclampsiam referat.

1) Kiwisch-Scanzoni Clin. Vortr. etc. pag. 472.

2) Lehrb. der Geb. pag. 68.

3) l. c. pag. 480.

4) Lehrb. der Geb. pag. 415.

5) l. c. p. 17.

6) l. c. pag. 147.

7) l. c. pag. 21.

Caput II.

De curanda ope chloroformyli eclampsia.

Supra jam significavimus, chloroformylo nobis remedium suppeditari, quo, a Simpson primum commendato neque sine aliorum dissensione in usum recepto, eclampsiae accessiones curare liceat. Quae controversiae, uti Scanzoni, qui in compendio suo 1850 in medium prolato et ipse adversarius exstitit, confitetur¹⁾, inde repetendae sunt, quod chloroformylum non ea, qua opus est, perseverantia in usum vocatum fuit. Si quis, uti Hecker²⁾, chloroformylum post primum experimentum pro inutili habuerit atque rejecerit, talem agendi rationem, uti in nullo medicamine, ita in hoc quoque probare non possumus. Inter laudatores acerrimos-Kiwisch fuit, attamen multi, uti Grenser³⁾ et Hohl⁴⁾, chloroformylum prorsus rejecerunt, dum alii certis rerum conditionibus id in eclampsia adhiberi volunt, qua in re tamen viri docti quam maxime inter se repugnant. Etenim, ut Krause⁵⁾ *post partum*, ita Kilian⁶⁾ tantummodo *ante partum* hujus remedii usum commendarunt. Quum jam ante casuum quorundam a Norris, Gros, Fearn, Agar observatorum, de quibus in praefatione verba fecimus, chloroformylo adhibito, faustissimus

1) Scanzoni: Beitr. z. Geb. u. Gyn. pag. 83.

2) Verh. d. Ges. f. Geb. 1853. pag. 70.

3) Naegele l. c. pag. 416.

4) l. c. pag. 291, 578 u. 768.

5) l. c. pag. 513.

6) l. c. pag. 498.

eventus fuisset, Kiwisch¹⁾ in casibus octo, variante fortuna, Braun²⁾ in septem successu splendidissimo, Piédagnel³⁾ in tribus hoc remedium in usum converterunt. Quibus morborum historiis jam commemoratis tres novas, in quibus chloroformylum adhibitum est, adjungere liceat, quum praesertim multis ex partibus, quarum mentio fiat, dignae videantur. Quorum casuum duo, in nosocomio obstetricio Dorpatensi observati, successu fuerunt faustissimo, tertius studiosi Wilde artem medicam exercentis benignitate ex praxi ipsius policlinica mihi est traditus. In omnibus his casibus, sudario aegrotae naribus opposito, brevi post eclampsiae accessionem, ubi primum respiratio ad normam redierat, chloroformylum inhalari coeptum, ejusque usus usque ad completam omnium musculorum voluntati obedientium relaxationem continuatus, indeque intermissus, at, aegrotā vel paululum inquieta, iteratus est, quoad nullae jam eclampsiae accessiones recurrerent.

CASUS I. Maria Maertenson, annos 30 nata, primipara, anno 1855 die mensis Maji 18 parturiens in nosocomium obstetricium Dorpatense recepta est. Postquam per aliquot dies capites dolores praecesserunt, uti mulieris cognati retulerunt, d. m. Maji 17 hora pomeridiana secunda dolores ad partum simulque spasmi, usque ad medici auxiliarii Rosenplaenter adventum octies recurrentes, extiterant. Exploratione interna instituta, calvariam praeviam esse compertum est;

7) Lehrb. d. Geb. pag. 89 u. ff.

1) Clin. f. Geb. u. Gyn. etc. pag. 262.

2) L'abeille médicale, revue des journaux etc. Paris 1856.

prima partus periodus paulo ante initium ceperat. In parturientis ipsius domicilio quum auxilium necessarium ferri non posset, aegrotā, spasmis his repetitis, die sequenti hora matutina sexta in nosocomium transvecta est, ubi, postquam lecto imposita est, nova eclampsiae accessio ingruit. Quo facto, statim duae sanguinis librae detractae, fomenta frigida capiti raso applicata, atque chloroformyli inhalationes institutae. Simul, ut partus, qui eodem, quo pridie vesperi, statu fuit, acceleraretur, secundum praeceptum Scanzoni aquae tepidae in vaginam injectiones (Uterindoûche) in usum vocatae. Urina magnam albuminis copiam continebat. Hora vespertina sexta oris uteri labiis attenuatis, quum trismus aegrotae remisisset, calomelanos gr. 3 cum pulv. rad. Jalappae β tertia quaque hora data sunt, quod remedium, horis 6 transactis, effectum exhibuit. Eodem tempore apoplexiae cerebri instantis phaenomena apparuerunt. Hirudines 20 regioni temporali sunt applicatae. D. m. Maji 19 hora matutina sexta, quum iterum urina, num quid albuminis contineret, perquisita esset, nihil ejus repertum. Hora octava partus sensim ad periodum tertiam transiit, horaeque dodrante elapso, caput in rima pudendorum apparuit, doloribusque ad partum remissis, aliquot forcipis tractionibus extractum est, quo facto, brevi puer 6 $\frac{1}{2}$ libras pondere aequans, 17" longus, in lucem egressus est. Chloroformyli inhalationes usque ad infantis partum, ergo per horas 26, continuatae, qua in re medicaminis unciae 14 consumtae. Placenta extractionem manualemente facile secuta. Puerperio ad normam finito, mater infansque sani d. m. Junii 8 e nosocomio dimissi.

CASUS II. Maria Kangru, annorum 32, primipara, pelvis dimensionibus normalibus, octavo graviditatis, quae ad id tempus a norma non recesserat, mense anno 1856 d. m. Dec. 3 in nosocomium fuit recepta. Die m. Dec. 6 hora matutina sexta doloribus ad partum coeptis, aliquot post horas mulier et capitis dolores conqueritur et delirare incipit, quo facto, prima partus periodo eclampsiae accessio ingruit. Magna sanguinis copia (2 ℥) depleta, fomentisque frigidis capiti raso adhibitis, hora matutina 10 chloroformylum inhalari coeptum est, cujus usus usque ad horam pomeridianam 2 continuatus, quum horis ultimis nulla recurrisset eclampsiae accessio, jam intermissus est. Partu celeriter progresso, tamen, quum caput in vaginam intrasset, denuo eclampsia accessit. Chloroformylo hora pomeridiana 4 iterum in usum vocato, femina, dum sopita jacet, forcipe ob dolorum moram adhibita, puella vivente soluta est, quae, 17" longa, pondere libras 7 adaequavit. Placenta, quum utero ex parte adhaereret, artis auxilio remota. Quamquam chloroformyli usu usque ad d. m. Dec. 7 horam matutinam 8 continuato, intervallis longioribus octo eclampsiae accessiones recurrerunt. Quum vero inde ab hora matutina 4 nulla jam eclampsia exstisset, hora 8 chloroformyli inhalationes intermissae, quae tamen, sesquihora elapsa, eclampsia denuo recurrente, repeterentur necesse fuit. Jam chloroformyli usus usque ad d. m. Dec. 8 horam 9 continuatus est, quo temporis spatio jam eclampsia non accessit. Pulsu debili atque intermittente; aegrotae, quum omnino sensus expers jaceret, ad nervorum actionem excitandam intra horarum 48 spatium secunda quaque hora moschi gr. 1 porrigebatur, indeque liquoris

cornu cervi succin. guttae 10 altera quaque hora datae sunt. D. m. Dec. 11 aegrotata primum infantem lactavit, attamen irritandi causa camphorae gr. 2 altera quaque hora praebere placuit. Puerperio inde a d. m. Dec. 12 normam secuto, d. m. Dec. 17 mater cum infante sani ipsius rogatu dimissi sunt.

Prof. C. Schmidt, vir clarissimus, sanguinem perscrutatus, et uream et sales ammonii reperit, quorum posteriores ex illius dilapsione ortos esse verisimile est. Narcosi ope chloroformyli per horas 46 durante, remedia ℥ ij β consumtae erant.

CASUS III. Anna Woidka, annos 20 nata, rustica sana ac robusta, pelvis dimensionibus normalibus, mensem octavum, uti ferebat, gravida anno 1857 d. m. Aug. 19 primum partum ediderat. Partus ipse tam facilis fuisse dicebatur, ut placenta, foetu expulso, statim sequeretur. Die insequenti mulier tam bene se habuit, ut, negotiis suis se occupari posse rata, aliquot per horas in prato aquoso fenum meteret. Brevi tamen capitis dolores adeo vehementes ingruerunt, ut domum reverti cogeretur, ubi extremitatum inferiorum frigus questa esse et bis vomuisse dicitur. Hora pomeridiana 3 vehemens spasmi accessio exstiterat, quae usque d. m. Aug. 21 horam matutinam primam duodecies recurrit. Hoc tempore studiosus W. praxin exercens eam mentis impotem, subinde suspirantem, facie rube facta, nunc ad risum, nunc ad fletum distorta, invenit. Maxillae, plerumque altera alteri firmiter appressae, interdum modo breve in tempus aperiebantur. Bulbi sub palpebris fere clausis huc illuc volutabantur, pupillae dilatatae cernebantur. Respiratio accelerata erat, pulsus, plenus ac frequens, centies quadragies in sexage-

sima micabat. Uterus ferme manum transversam supra symphysin ossium pubis, corporis durissimi globosique speciem offerens, persentiri poterat. Circiter sexagesimis 10, postquam W. accesserat, spasmi accessio tali modo se manifestans ingruit. Aegrotae bulbi ad id tempus admodum mobiles unum in punctum defixi cernebantur, quo facto, quum aliquoties profunde inspirasset, primo brachium dextrum sursum sublato convulsionibus correptum est, quae, vehementia magis magisque auctae, etiam ad ceterarum extremitatum faciei truncique musculos sunt propagatae. Primo labia, tum tota facies colore coeruleo tincta sunt, osque spuma obtectum. Quae accessio quum exiguis remissionibus circiter sexagesimas 6 durasset, status, quem supra descripsimus, rediit. Extemplo glacies aegrotae capiti apposita, venae secta sanguinis ℞ij emissae. Duabus horis circumactis, quò temporis spatio spasmi accessio recurrerat, venae sectione iterata, sanguinis ℞j depleta ac chloroformylum in usum conversum est, quod, quum officina pharmacopolae procul abesset, citius afferri non poterat. Fere sexagesimis 10 exactis, aegrotata somno placido occupata est, qui, chloroformyli inhalationibus, quotiescunque aliqua inquietudo apparebat, repetitis, continuabatur. Qui chloroformyli usus novem per horas usque ad d. m. Aug. 21 horam pomeridianam 1 perduravit, quo tempore spasmus jam non accessit. Ad horam vespertinam sextam usque somnus inle secutus duravit, ex quo quum excitata esset, aegrotata nisi capitis dolores sitimque vehementem nihil conquerebatur. Brevi tamen temporis spatio interjecto, maniae puerperalis symptomata apparuere, qui morbus, hebdomadibus 3 circumactis, in convalescentiam exiit. Infans, in partu

debilis, tum bene valens, mortua est aetate trium hebdomadam.

Ex tribus, quas enarravimus, morborum historiis hoc saltem elucet, narcosin, quoad necessarium visum erit, nullo aut matris aut foetus damno continuari posse. Quibus si quis objecerit, matris in casu altero debilitatem, maniamque puerperalem in tertio obviam his contradicere, certe casuum prior plane ostendit, debilitatem istam non tam a chloroformyli usu, quam ab eclampsiae accessionibus longius per tempus continuatis pependisse, quoniam, nisi res ita se habuisset, debilitatem etiam in casu primo ingruere necesse fuisset. Manias puerperarum non ita raras esse, praesertim eclampsia praegressa ¹⁾, inter omnes satis convenit, quo adde, quod ceterae rerum conditiones, de quibus memoravimus, maniam non e chloroformyli usu originem cepisse satis coarguunt. Refrigerium quantum in puerperio periculi moveat, non est quod admoneam; at, si quis plures per horas, praesertim vasorum systemate excitato, in prato aquoso steterit, refrigerium evitari non posse, quis est quin perspiciat? Sanguis igitur, a corporis peripheria repulsus, in casu, de quo dicimus, centrorum systematis nervosi hyperaemiam, fortasse meningitidem, quam symptomata quaedam indicant, cuiusque in sequelis tam facile maniae existunt, provocasse credendus est. — Narcosi autem continuata, quum paroxysmi eclampsiae tum intermittere soleant, partu progrediente, etiam potestas datur operationes, quae oris uteri aperiendi periodo propositae sunt atque institui solent, nempe incisionem labiorum oris uteri par-

1) Kivisch, Lehrb. d. Geb. pag. 70.

tumque violentum, evitandi. Ut omittam periculosas per se partus violenti sequelas, nempe inflammationes uteri partumque circumjacentium etc., hoc in casu etiam eclampsiae sequelae iis adjunguntur. Quodsi jam uteri contractiones ejusque os illis apertum ad provocandam eclampsiam valere possunt, quanto, quaeso, ejusmodi operationum insultibus eclampsiae accessiones iisque et matris et foetus periculum augentur?

Jam, si tabulam commentationi adjunctam perlustraverimus, haec apparent. Duodecies (cas. 1, 2, 4, 8, 10, 12, 13, 14, 22, 24, 25, 27) chloroformylum prima partus periodo in usum vocatus, matribus 3, infante 1 mortuis. Ex quibus casibus semel (cas. 4) vesicae urinae punctio suscepta erat, matre febre puerperali affecta, semel (cas. 8) ruptura uteri et vaginae eaque inflammatio puerperalis accidit, semel (cas. 10) mater peritonitide puerperali extincta est. Itaque unus restat infans, qui, partu difficillimo, in quo uterus vaginae rupta sunt, editus, eo ipso magnum subiit periculum, ita ut deficientem chloroformyli effectum accusari opus non sit. In casu sexto, in quo eclampsia tertia partus periodo accessit, funiculo umbilicali prolapsa, mater et infans mortem obiit. In casu ab Oppolzer tradito (cas. 23), partu ope forcipis difficillime finito, mater peritonitide et perimetritide consumpta est. Denique in casu ab Hecker (cas. 28) prolato, uti relatio de cadavere secto docet, diuturnus feminae morbus, quo ejus vires exhauriri potuerunt, praecesserat, nec non extravasata sub pia matrem effusa erant; ac verisimile est potius venae sectione omissa, quam chloroformylo effectum non exhibente mortem allatam esse. Semel (cas. 5) chloroformylum periodo secunda, quater

(cas. 6, 15, 21, 23) tertia, semel (cas. 16) quarta, septies (cas. 3, 7, 9, 17, 18, 19, 20) partu finito, semel (cas. 26) sexto graviditatis mense inhalatum est, bis (cas. 11 et 28), quo tempore inhalationes institutae fuerint, non narratum. Ex quibus, tum quae indicia Krause, tum quae Kilian ex partus periodo desumpserunt, falsa esse satis apparet. Quam ob rem chloroformylum non modo in omnibus partus periodis, verum etiam graviditatis ac puerperii tempore, eclampsia ingruente, adhiberi potest. Qui infantis situs fuerit, id quod dolendum est, paucis in casibus aliquid certius est notatum, quo fit, ut ex infantis positione nullum repeti possit indicium. Me non omnes, quibus chloroformylum adhibitum sit, casus collegisse certum est, neque tamen minus compertum, me non casus levissimos exquisivisse, id quod notationes adjunctae plane ostendunt. Haec de indicibus. Ad contraindicationes quod attinet, ut mea fert sententia, excepta propinquorum recusatione obstinata, nulla omnino exstat. Etenim, ubi inhalationes chloroformyli vetitae, ibi, sicuti in casibus duobus a Piédagnel traditis (cas. 26 et 27), remedium illud vel usu interno vel ope clysmatum adhiberi potest, quamquam haec quidem, quantum experimenta ab Hartmann¹⁾ instituta docuere, effectum tardius exhibent. Qua causa adductus, Piédagnel²⁾ in ea est sententia, ut clysmata ista casibus levioribus servanda, in gravioribus semper inhalationibus utendum esse censeat. Ceterum de utendi chloroformyli modis a Piédagnel commendatis ad hunc usque diem pauciores institutae sunt

1) l. c. pag. 18.

2) L'abbelle médicale etc. pag. 35.

observationes, quam ex quibus aut huic aut alteri certa quaedam attribui possint indicia.

Ad mortium frequentiam quod attinet, si quidem a notationibus ante propositis discesserimus, quae ostenderunt, in casibus illis, quorum exitus letalis fuerit, non solam eclampsiam, ideoque exiguam chloroformyli efficaciam pro causa habendam esse, mortem videmus rarius ingruisse, quam ulla alia curatione in usum vocata. Namque matrum 28 septem, ergo pars quarta, infantium 30 quatuor, id est pars nona, mortem occubuere.

De modo, quo chloroformylum in eclampsia vim exhibeat, disserere quamquam tanti non interest, quoniam, quae hujus morbi natura sit, parum constat, tamen multae res coarguunt, hoc remedium solummodo, ut anaestheticum, quod dicitur, neque vero, uti Simpson ¹⁾ existimat, saccharo formato, se efficax praebere.

Quae quum ita sint, spero fore, ut chloroformyli usus praeter venaesectiones, fomenta frigida atque etiam calomel interne adhibitum in curanda eclampsia magis magis suum ac debitum locum obtineat, atque, quod medici practici objiciunt, eum nimium morae afferre, id opprobrium prosperis curae successibus cedat. Quum enim medicus obstetricius feminam eclampsia affectam nullo modo adjutoris custodia destitutam relinquere possit, qui, aliis remediis commodioribus, uti verbi causa opio, adhibitis, operationes, si quae necessariae fuerint, exsequatur, quumque ideo, si ipsum officii partes ab aegrotae lectulo avocaverint, alterius medici obstetricii auxilio indigeat, huic sane etiam chloroformyli inhalationes instituendas committere possit.

1) Braun, Lebrb. d. Geb. pag. 506.

Conspectus casuum Eclampsiae gravidarum, parturientium puerperarumque, qui ope chloroformyli tractati sunt.

<i>N^o</i>	Nomen auctoris observantis.	Partus erat quotus?	Spatium partus ejusdem?	Qui situs erat?	Quantum chloroformylum in usum est vocatum?	Matrum sanatarum numerus?	Infantium vivorum numerus?	Matrum mortuarum numerus?	Infantium mortuorum numerus?	Adnotationes quaedam ad casum pertinentes.
1	Walter	I	I	I calv. praev.	26 per horas.	1	1	—	—	Chloroformyli unciae quatuordecim sunt in usum vocatae.
2	idem	I	I	idem	46 per horas.	1	1	—	—	Applicatio forcipis. Sanguinis analysi uream et sales ammoniacos invasisse, compertum. Chlorof. β ij β .
3	idem	I	In puerper.	incertus.	9 per horas.	1	—	—	1	Mania exstitit postea.
4	Kiwisch	I	I	?	?	—	1	1	—	Punctio vesicae urinariae. Febris puerperalis mortem matris effecit.
5	idem	I	II	?	?	—	1	1	—	
6	idem	I	III	?	?	—	—	1	1	Prolapsus funiculi umbilicalis.
7	idem	I	In puerper.	?	?	1	1	—	—	
8	idem	I	I	?	?	—	—	1	1	Ruptura uteri vaginaeque et ex ea febris puerperalis orta.
9	idem	I	In puerper.	?	?	1	1	—	—	Albuminuria jam die sequente post paroxysmos evanuit.
10	idem	I	I	?	tres per horas	—	1	1	—	Mater ex peritonitide mortua.
11	idem cum Dr. Schierlinger	?	?	?	per duas hor.	1	1	—	—	Dilatatio oris uteri artificialis, forcipis applicatio.
* 12 (Nr. 25)	C. Braun	I	I	?	ante paroxysmum, aequa ratione	1	1	—	—	Ammon. carb. defuit. Ruptura velamentorum et forcipis applicatio.
13 (27)	idem	I	I	?	»	1	1	—	—	Conjugata interna 3''.
14 (28)	idem	I	I	Calv. praev.	»	1	1	—	—	Uraemia. Partus praematurus.
15 (31)	idem	I	III	idem	»	1	1	—	—	Forceps. Nec albuminuria, nec uraemia observata.
16 (36)	idem	I	IV	?	»	1	1	—	—	Anasarca et oedema lab. maj. pud. Forceps.
17 (51)	idem	I	In puerper.	?	»	1	1	—	—	Antea opium in usum vocatum erat.
18	Norris	?	In puerper.	?	»	1	1	—	—	
19	Gros de St. Marie	I	In puerper.	?	»	1	2	—	—	
20	idem	II	In puerper.	?	»	1	2	—	—	
21	Agar	I	III	?	per 4 hora.	1	1	—	—	
22 (21)	Braun	?	I	?	?	1	1	—	—	
23	Oppoltzer	?	III	Calv. praev.	?	—	—	1	1	Peritonitis et perimetritis post partum. Forceps.
24	Fearn	I	I	?	?	1	1	—	—	Partus erat praematurus 7 grav. mens. $\frac{3}{4}$ vij chloroformyli in usum vocatae.
25	Piédagnel	I	I	?	?	1	1	—	—	Simul chloroformylum per anum applicatur. Prolapsus adfuit linguae.
26	idem	I	—	?	?	1	1	—	—	Sexto gravid. mensi ingruit eclampsia, octo tamen hebdomadibus elapsis mater infantem vivum peperit. Tetanus uteri adfuit.
27	idem	I	I	?	?	1	1	—	—	Partus praematurus. Chloroformylum etiam per os applicatum.
28	Hecker	I	?	I calv. praev.	?	—	1	1	—	Forceps. Ren sinister per calculos mutatus; in dextro primum morbi Brightii stadium. Extravasata permagna supra meningem.

* Numeri in parenthesi scripti significant numerum casuum a Braun in turnis citatis prolatorum.

THESES.

- 1) Jus foetus intra uterum vertendi obstetricibus concedendum non est.
 - 2) Manus ad foetus motiones provocandas refrigerata ad diagnosin parum valet.
 - 3) Involutions Priessnitzianae in chronico articularum rheumatismo curando maximi sunt momenti.
 - 4) Nec cataractae reclinacioni nec extractioni priores deferendae sunt.
 - 5) Nulla partus periodus, femina eclampsia correpta, chloroformyli usum vetat.
 - 6) Apparatum compositorum ad inhalandum chloroformylum usus rejiciatur oportet.
-